



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Propositio multifaria[m] diuiditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

pugnantem. Sic definita causa hunc in moeum, est principium per se influens esse in aliud, nulla eo ipso causarum multiplicitas distinguitur, quia tametsi aliud, respectu cuius causa definitur, eiusque correlatiuum reuera sit etiam ulterius causa alicuius alterius (est enim necessario ens, quod autem ens, ad necessario causatiuum alicuius, si non efficienter, at certe finaliter, formaliter, aut materialiter) ceterum hoc non exprimitur in definitione causae, sed tantum, quod eiusmodi aliud sit effectus, & causa terminus: quanquam ergo actus alius, cum quo definitur, impossibilis propositio in communi debeat reuera esse etiam propositio, hoc tamen in ea definitione exprimi non est necesse: non expressum autem vnitati, & abstractioni rationis definita nullum praedictum importabit. Respondeo secundo, actum alium, cum quo definitur impossibilis propositio, non tantum esse reipsa, & ante opus intellectus propositionem aliam, verumetiam apprehensionem simplicem interdum: quid enim verat, iudicium aliquod eius esse perfectionis, ut non dissensum modo, sed quamvis etiam apprehensionem contrariam fuget, & expellat? licet de diuerso quaelibet apprehensio, vel quoad eius est cum illomet iudicio vel absolute cum alio non tanta perfectione praedito componi queat. Ex hoc ergo titulo, ut omittam alios, neququam exprimitur in definitione causae, causarum multiplicitas, & distinctio: quo pacto quia filius, etsi ut plurimum pater alterius esse possit, non tamen semper, ut cernere datur in secunda triados persona, quae filius est non tamen pater, ideo pater in communi respiciens filium velut à se distinctum, & relationis suae terminum, nihilominus ab omni patrum multiplicitate abstrahit, estque ratio prorsus vna, haud secus, atque homo, & quauis alia.

Denique obieci, in Deo esse propositiones, & iudicia, & tamen in eo nullā esse oppositionē vnus actus cū alio, haud enim alio, atq; alio actu, sed vnicō, & indiuisibili cuncta intelligit: perperā ergo per talem oppositionem definita est à nobis propositio in communi. Respondeo, oppositionem, per quam est à nobis explicata propositionis natura, esse illius cum alio actu re, aut ratione distincto; pluralitatem autem actuum ratione distinctorum in Deo etiam locum habere: Deinde secundo; transeat, oppositionem, de qua loquimur, ita intelligendam esse, ut sit vnus actus cum alio realiter distincto; quid inde non ex eo profecto in propositionem diuinā mentis conuenire nequit: nam, si in illa non est alius, aliusque actus realiter loquendo, quauis ergo illius propositio est impossibilis cum actu quocunque realiter distincto, ne videlicet ea pluralitas realis actuum, Deo compositionem, & imperfectionem affingat.



TRACTATUS II.

De variis speciebus veritatis compositae, siue propositionis.

CAPVT I.

Propositio multifariam diuiditur.

Rimò in eam, quae est differendi, siue dialecticam; atque in demonstratiuam. Propositio
P. Lyncei Philosophiae Tom. I.

dialectica in quærente est mera interrogatio contradictionis; ac proinde omnis veritatis, & falsitatis expers: at in ratiocinante est sumptio eius partis, quæ apparet verisimilis, ac probabilis; & velut talis est concessa ab eo, cum quo instituitur disputatio demonstratiua est acceptio alterius partis contradictionis in materia necessaria ac per se nota: de quibus vide Aristotelem lib. 1. prior. cap. 1. Rursus propositio, alia est strictissima, videlicet sola maior syllogismi: alia stricta quidem, & propria; sed non tantumdem, scilicet quauis alia, siue sit minor syllogistica, siue conclusio, siue sit prorsus extra syllogismum omnem: utroque enim modo sumi propositionem testes sunt ut alios omittam, nostri Conimbricenses super textum eius libri primi, capitique primi priorum.

Uterius propositio dissecari consuevit in affirmatiuam, & negatiuam, quæ à Cassiodoro in dialectica, & Isidoro lib. 2. orig. cap. 26. & aliis dissident dedicatiua, & abdicatiua. Hanc autem diuisionem esse non vniuocam, sed analogam docent Alexander Aphrodis. Burana lib. 1. prior. cap. 1. quoniam, inquit, affirmatio, est prior negatione: ubi autem reperitur prius, & posterius, ibi visitur analogia; ut patet in substantia, & accidenti, Deo, & creaturis, contemplatione entis: ergo, &c. Minorem supponunt adducto exemplo probatam. Maiorem probant hunc in modum: obiectum affirmationis, videlicet rem esse obiectumque negationis; scilicet rem non esse, ita instituta sunt, ut illud genere suo sit prius, quam hoc: quanquam enim in rebus creatis prius sit eas non esse, quam esse; at esse latissime fufum, & propt se extendit ad creatorem, eumque comprehendit, prius est, quam non esse; nam quidquid non est in rerum natura, caret existentia, censeturque non esse, dependenter utique à Deo nolente, illud ex nihilo, seu non esse ad esse transferri. Ceterum verius est, prædictam diuisionem esse vniuocam. Ita B. Thomas opusc. de enunciat. cap. 6. Ammonius 1. de interpret. c. 4. Porphy. & Philopon. lib. 1. prior. c. 1. & Simplicius atque Recēiores communiter. Probatur autem primo, quia affirmatio est verē, & propriē propositio, necnon etiam negatio: conueniunt ergo vniuocē in ratione propositionis: haud secus ac Petrus v. g. & Paulus in ratione hominis, propter id quod vterque est verē, & propriē homo. Secundo: eadem propositio potest esse affirmatiua, & negatiua respectu diuersorum, veluti hæc: Petrus currit, & Paulus currit: sicut ergo affirmatio, & negatio conueniunt per identitatem, & indistinctionem realem, ita etiā per similitudinem, & vniuocationem, si cuius vspiam est momenti argumentatio à maiori ad minus. Tertio & obiter fit satis argumento contrario: tametsi affirmatio sit prior negatione, & hæc illa posterior: atq; hoc diuersæ opinionis auctoribus concedatur ex abundanti, inde tamen nihil concludi potest aduersus vtriusque vniuocationem; cum probabilius sit, substantiam & accidens, creatorem, & creaturas vniuocē conuenire in ratione entis, quam tamen nisi prius, & posterius, & cum inæqualitate quadam non participant: de quo in metaphysica. Tandem: licet esse sit prius, quam non esse, & hoc posterius illo, hinc neququam sit, eandem prioritatem, & posterioritatem admittendam esse inter affirmationem, & negationem: tum quia non sunt harum obiecta, videlicet singula singularum, ut in prioris sententiæ fundamento assumitur satis ex vano: nam affirmatio multoties respicit non esse, siue carentiam: ut si dicas, nunc datur carentia Antichristi: & negatio etiam multoties esse rei, siue eius existentiam: veluti

si dicas, *nunc Antichristus non existit proprie, & positue*: Tum etiā, quia licet affirmationis, & negationis obiecta sint esse, & non esse; quid inde? namque substantia est prior accidentibus, & creator creaturis: & tamen horum obiectorum actus simili sunt ordine destituti, & potius contrarium amant: siquidem cognitio substantiæ, ac Dei non est prior, sed posterior cognitione accidentium, & creaturarum: & substantiam per species accidentium, ac Deum per imagines creaturarum cognoscimus; similiter ergo in presenti, licet esse, & non esse sint obiecta affirmationis, & negationis, haud propterea in has, quem inter se ordinem seruant, refundent, adeoque neutiquam erunt impedimento, quominus earum convenientia in ratione propositionis in communi sit vniuoca: vt vt gratis concedatur, prioritatem, ac posterioritatem vbiuis vniuocationi obesse, & analogiam inuehere.

Diuidi quoque solet propositio in vniuersalem, vt omnis homo est animal; particularem, vt aliquis homo est animal; singularem, vt hic homo est animal; & indefinitam, vt homo est animal: de quibus latius infra. Diuiditur etiam propositio communiter in simplicem, & complexam: hæc duplici copula, illa vnica constat: paradigma prioris sit, Petrus est homo: paradigma posterioris: Petrus est iustus, & Paulus est diues. Atque ita vtramque explicant Albertus in tract. de enunciatis. cap. 21. & apud eum Moazel, Auicenna, & Boëtius: necnon Ammonius, & alij communiter. Porro ambæ nuncupantur aliter à Petro Hispano lib. 1. cap. 15. & alijs Summulistis: nimirum categorica, quæ à nobis est vocata simplex, & hypothetica, quæ complexa. Cæterum immeritò, & contra nominum ethymologiam, vt rectè animaduertit Hurtadus noster disp. 4. summular. sect. 3. nam Græca illa vox *categorica* latine prædicatio est: quare propositio categorica erit ea, in qua aliquid absolute prædicatur, siue ea prædicatio sit simplex, siue composita: vt dies est: vel, dies est & sol consequenter est: hypothesis vero suppositionem, seu conditionem significat: quare hypothetica propositio erit ea, in qua aliquid sub conditione, aut suppositione prædicatur; non vero ea, in qua duæ copulæ absolute reperiuntur: vt si sol est, dies est: aut quia sol est, dies est.

Itaque duplex est, atque omnino diuersa propositionis diuisio, hinc in simplicem, & complexam, & illinc in categoricam, & hypotheticam. Propositio simplex, quæ prioris diuisionis prius membrum est, alia est modalis, vt Petrum esse hominem necesse est, alia non modalis, vt Petrus est homo: quam partitionem satis nodosam inferius enodabimus. Propositio autem complexa, alia est modalis: vt Petrum currere est contingens, & Paulum currere est contingens: alia non modalis, vt Petrus currit, Paulus currit. Item alia est exponibilis, in qua altera copula exprimitur, altera latet: vt tantum homo currit: alia exponens, in qua exprimitur vtraque copula: vt homo currit & præter hominem nihil aliud currit: de qua diuisione, sicut & de priori latius tract. ultimo huius libri. Propositio complexa iterum alia est copulatiua: vt Petrus currit, & Paulus sedet: alia est disiunctiua: vt Petrus currit, vel Paulus sedet: alia demum neutra, seu disparata vt Petrus currit, Paulus sedet. Hanc vltimam, sunt, qui putant, non esse in mente vnā, sed plures realiter distinctas, ac separabiles more ipsarum vocum. Sed contrarium verius est, vt constabit lib. postremo huius operis: impræsentiarum satis esto paritas apprehensionis;

quæ enim respondet huic voci, *homo*, Petrum v. g. Paulumque, ac cæteros homines indefinite, & sine particula &, aut, vel, aliavè simili formaliter representat; idque etiam si sit indiuisibilis, & vna: quidni ergo præfata propositio interius vna, & indiuisibilis manens, cursum Petri, Paulique omnino dispersat, & sine vlllo nexu per voculam &, aut vel expresso, formaliter affirmet?

Propositio categorica dissecari iterum potest in simplicem, & complexam: modalem, & non modalem; exponibilem, & exponentem hætenus explicatas. Rursus propositio hypothetica: alia est conditionalis, alia causalis: conditionalis vel est necessaria: vt si sol oritur, dies est: vel libera: vt si Petrus à Deo vocetur, conuertetur: vel est disparata: vt si Turca saltat, Persa dormit: vel est impossibilis: vt si sol illuminat, tenebræ sunt. Causalis etiam quadrupliciter pro quadruplici connexionione causæ cum effectu subdiuidi potest: ita tamen vt dependenter ab aliqua causa aliquid affirmet, aut neget; ac proinde particulam *quia* includat: vt quia sol existit, dies est: cum tamen conditionalis sub conditione tantum aliquid affirmet, aut neget; atque adeo particulam *si* inuoluat. Potrò autem non solum hæc vocatur hypothetica, sed etiam pari iure prior illa: nimirum causalis, propterea quod causa sit hypothesis, & conditio quadam ad existentiam effectus. Alia quoque est diuisio vtriusque propositionis, eaque quadruplex; aut enim propositio causalis, seu conditionalis est omnino negatiua, aut omnino affirmatiua, aut affirmatiua ex parte conditionis, siue causæ; & negatiua ex parte conditionati effectus; aut denique negatiua ex parte conditionis, siue causæ; & affirmatiua ex parte conditionati, vel effectus. Quarum exempla nobis præbet Fabius lib. 5. cap. 8. his verbis: *ad hoc omnium probationum quadruplex ratio est: vt vel, quia aliquid est, aliud non sit: vt quia dies est, nox non est: vel quia est aliquid, & aliud sit: vt quia sol est super terram, dies est: vel quia aliquid non est, aliud sit: vt quia nox non est, dies est: vel quia aliquid non est, nec aliud sit: vt quia non est rationale, nec homo est*. Hæc ille. Eandem diuisionem tradit D. Thomas opuscul. 48. cap. 16.

Vltius diuidi conuenit propositio in essentialem, & accidentalem. Propositio essentialis est ea, in qua prædicatum est de essentia subiecti: accidentalis est, in qua prædicatum accidit subiecto. Porro autem prædicatio potest essentialis, aut accidentalis, vel physice; seu, vt loquuntur alij, metaphysice, vel etiam logicè: hæc propositio, *homo est animal*, est essentialis logicè: hæc, *homo est albus*, est accidentalis physice: hæc, *homo est risibilis*, est logicè accidentalis, cum risibilitas sit extra essentiam logicam hominis, & physice essentialis; cum non sit extra eius essentiam physicam; aut, si mauis, metaphysicam propter realem cum eo identitatem. Scio Bartholomæum Manzolum in tract. formalitatum, & alios in ea esse sententia, vt existiment, propositionem illam, *homo est animal* neque esse accidentalem, neque essentialem: non accidentalem, cum esse animal nequeat homini accidere: non essentialem, quia si talis absolute esset, sanè & ab æterno talis esset: atqui nequit esse ab æterno essentialis, cum nulla extiterit ab æterno essentia præter diuinam. Hæc tamen sententia falsa est, & quo confirmatur discursus leuis: etenim propositio essentialis, cum secundum omnes sit æternæ veritatis, haud postulat ad sui rationem existentiam obiecti sui, sed tantum vt prædicatum suum sit de essentia subiecti; siue

sive ambo reuera existant, siue secus: ea ergo propositio, *homo est animal*, poterit esse essentialis ab aeterno, siue in mente Dei, siue in alia, si qua esset alia, quantumvis nulla existat ab aeterno essentia. Hæc licet ita sint, haud tamen negauerim, multas esse propositiones, quæ nec sunt essentielles, nec accidentales, eas nimirum, quæ sunt in materia impossibili.

CAPVT II.

Propositionis diuisio in formalem, & identicam, directam, & indirectam.

7 **P**ropositio formalis est illa, in qua subiectum, & prædicatum, ratione distinguuntur, tametsi alterum reipsa includatur in altero, vt, homo est animal, animal est rationale. Propositio identica, est ea, in qua subiectum, & prædicatum, nec ratione nostra distinguuntur, vt Petrus est Petrus, homo est homo. Porro autem cum dicitur, subiectum, & prædicatum in propositione formali distinguuntur ratione nostra, si minus adæquatè, at certè inadæquatè, & in identica, neutiquam esse distincta, aut est sermo de subiecto, & prædicato reduplicatiuè sumptis, & prout talibus; ita enim non dubium, quin in cuiuscunque modi propositione, semper sint distincta, ratione saltem, vt latè probatum manet supra lib. 3. tract. 2. cap. 1. sed de iis specificatiue sumptis, siue rebus iis quæ subiiciuntur, ac prædicantur, seorsim tamen ab vtralibet denominatione, & secundum se potius. Atque hoc pacto homo, & homo v. g. idem est non vero aliud, & aliud ratione nostra, etiam si distinctionem habeat, à respectu, ad diuersos iudicij actus seu formalitates, quibus subiicitur sibi, ac de se se prædicatur, cum tamen homo, & animal v. g. etiam extra iudicium, & prout soli subiacent apprehensioni, nihilominus distinctionem rationis subeant.

8 Nonnulli recentiores omnem propositionem identicam in mente negant, quare huic propositioni vocali, homo est homo, aiunt interius respondere istam, homo est significatum huius vocis homo, quæ sanè idetica non est, quippe in qua subiectum, & prædicatum distinguuntur ratione nostra. Mouentur primò, quoniam omnis propositio facit aliquid innotescere; sed hæc propositio mentalis, homo est homo, nihil innotescere magis facit, quam apprehensio simplex hominis; repugnat ergo talis propositio mentalis, qualem eam voces præfereunt. Secundo, quia subiectum, & prædicatum ratione nostra distinguuntur debent in omni propositione, cum nulla non sit affirmatio, vel negatio vnius de alio, iuxta Aristotelem 1. Prior. cap. 1. ac reliquos dilecticos: at ea distinguuntur, nec possunt, nec debent in identica; hæc ergo neutiquam est admittenda.

9 Contraria sententia quantum est cõmunior, tantumdem verior, atque probabilior: nam in primis, homo veram habet identitatem secum ipso, quæ nimirum est homo, hæc ergo identitas, non vocibus tantum exprimi, sed mente etiam affirmari potest, per huiusmodi propositionem, homo est homo. Deinde prædicatum illius propositionis mentalis, homo est homo, est, quod huic prædicato vocali, homo, respondet; alioqui propositio mentalis huic vocali, homo est animal, respondens, haberet loco prædicati non magis animal, quod voces exprimunt,

P. Lyncei Philosophia Tom. 1.

quam leonem, quem non exprimunt. Sed in hac propositione vocali, homo est homo, prædicato vocali non significatum huius vocis, homo, quatenus tale respondet, cum vox seipsam ex instituto non significet, sed homo secundum se; ergo homo secundum se est prædicatum propositionis identicæ mentalis vocali respondentis, ac proinde sicut hæc, ita etiam illa est admittenda. Tandem Deus opt. max. idem de ipso eodem modo conceptum affirmat, siquidem totum obiectum eodem simplicissimo intuetur actu, nec clarius quod affirmat, quam de quo affirmat, concipit: similiter ergo nos nostro modulo poterimus idem eadem ratione conceptum per propositionem ideticam affirmare de semetipso. Ad primum argumentum contrarium respondeo; propositio illa mentis identica, homo est homo, facit aliquid innotescere: & multo magis, quam apprehensio simplex hominis: tum quia explicite, & distinctè attingit identitatem hominis secum ipso, quatenus nimirum copulæ verbali, & exteriori, est, respondet; quam tamen apprehensio huic vocis, *homo*, subiecta tantum implicite, & confuse tangit. seu iuxta aliorum phrasim non ex parte modi, & formaliter, sed ex parte obiecti, & materialiter tantum: tum etiam, quia propositio, qua de loquimur, affirmat eam identitatem, cum tamen apprehensio mera hominis illam ad summum simpliciter repræsentet, ac de ea nihil constituat: magis autem cognoscimus, quod affirmamus, quam, quod simpliciter apprehensum in medio relinquimus. Ad secundum argumentum respondeo, subiectum, & prædicatum in omni propositione debere quidem ratione distinguuntur; at quo pacto hæc distinctio rationis cum eorum identitate quadam rationis aliquando possit esse coniuncta, sicut ad propositionem identicam oportet, paulo superius, huius nimirum initio capitis, satis, superque ostensum esse.

Propositio directa & illa, in qua prædicatur, vel superius de inferiori, vel æquale de æquali; vt homo est animal, rationale est risibile, homo est albus, &c. indirecta vero in qua prædicatur inferius de superiori, vt animal est homo, sensibile est animal, &c. Ita, communiter nostri authores. Enimvero Sorus q. 5. prædicab. parum ab initio, Caietanus, & alij Thomistæ dicunt, propositionem directam esse eam, in qua prædicatur est forma subiecti, indirectam vero, in qua prædicatur aliquid de alio, quod non est ipsius forma. Sed malè quantum arbitror: primo, quia in omni propositione prædicatum est forma subiecti, ac totius propositionis, sicut è contrario subiectum vtriusque materia, vt tractatu sequenti constabit. Secundo, quoniam hæc propositio homo est animal, est directa: at in aduersariorum principiis animal nequit vllatenus esse forma hominis: non enim talis est, quod eum physice, & realiter informet; haud etiam est illius forma metaphysica, siue differentia, sed potius genus: nec etiam eius est forma, propterea, quod prædicetur de eo, alias iuxta illos, quibuscum agimus, omnis propositionis prædicatum esset eius, subiectique forma, adeoque nulla non esset directa. Quæres, an hæc prædicatio, animal est rationale, sit directa? Caietanus affirmat, quoniam rationale est forma saltem inadæquata animalis: at Sorus vbi supra negat, & eam potius ait esse indirectam: & quidem iure merito, cum in ea prædicetur inferius de superiori. Rursus quod attinet ad hanc, album est dulce, eam docet Sorus esse directam, & benè, namque in ea prædicatur æquale de æquali,

L 2

haud